

Astutus omnia agit cum consilio: qui autem fatuus est, aperiet stultitiam.) Vbi omnia cum consilio docet esse agenda, diuinū potius, quod sacris eloquiis inditum est, quā humanum intelligit consilium. Fatuus est enim, qui extra hoc consiliū viuit: quāuis naturaliter astutus videatur, & prudens. De quo rectē subditur,

Nuncius impii cadet in malum.) Arrium autem dicit & Sabellium, ceterosque angelos, id est, nuncios Satanæ: qui quoniā consilium neglexerunt diuinarum scripturarum, deciderūt in malum gehennalium tormentorum.

Legatus autē fidelis, sanitas.) Id est, catholicus quisque prædicator, sanitatem sibi, suisque auditoribus acquirit æternam.

Desiderium, si compleatur, delectat animam: detestantur stulti eos qui fugiūt mala.) Omne desiderium, siue bonum, siue malum sit, vbi ad effectum peruenerit, delectat animam. Sed stulti, qui carnalibus solum desideris gaudent, detestantur eos qui pro amore caelestium, infima oblectamenta contemnunt.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum efficietur similis.) Cum sapientibus ire, est sapientium actus imitari. *Quamlibet ergo simplex quisque sit & rusticus, qui arcana sapientiæ comprehendere nequeat: si tamen sapientium exempla viuendo sectatur, iure inter sapientes annumerabitur.* Qui vero stultos non propter naturam, quia homines sunt, sed propter stultitiam, quia mimi sunt, vel histriones, vel aliqui tales, nō vt instruendo corrigat, amat, sed vt fauendo deteriores efficiat: talis nimirum est si per ingenium & doctrinam sapiens esse videtur, stultorum nota dignus simul & dānatione tenebitur.

Bonus relinquit hæredes filios & nepotes, & custoditur iusto substantia peccatoris.) Sæpe videmus bonos sine filiis obire: immo maiora à domino præmia polliceri his qui filiorum procreationi, virginitatis castimoniā præposuerint: sed & substantiam iustorum à peccatoribus tolli. Nam & Apostolus glorificat eos, qui rapinam bonorum suorum cum gaudio susceperunt. Vnde spiritualiter intelligendū, quia bonus & iustus dominus est, qui post passionē suā ascendens in cælum, reliquit hæredes suæ doctrinæ, Apostolos, & successores eorum: ad cuius fidem cōuersa est multitudo gentium, quæ erat substantia diaboli. Intrauit nāq; in domum eiusdem male

fortis aduersarii, & eum maiori virtute cōterens, diripuit arma eius in quibus confidebat, & spolia eius distribuit, vt ipse in Euangelio testatur. Vel certē, iusto substantia custodita est peccatoris, quando ablatū est à Iudæis regnum dei, & datum est genti facienti fructus eius.

Multi cibi in noualibus patrum, & aliis congregantur absque iudicio.) Absq; iudicio recto facit, qui diuitiis cōgregatis sedulus insistit: & has aggregatas non ipse pro redemptione animæ suæ pauperibus dispēsat, sed aliis post se dispensandas referuat: iuxta quod in superiori versu iuxta literā dicitur. Et custoditur iusto substantia peccatoris, maxime cum sibi victus abundet ex iure paternæ hereditatis, neque vllas pecunias colligēdi necessitas incumbat. Hoc est enim quod ait, Multi cibi in noualibus patrum. Iuxta sensum vero spirituale, multi sunt cibi alimonie caelestis, in dictis, & exemplis venerabilium patrum: & absq; ratione facit, qui his legendis, meditandis, exponendis instans, non suæ salutis per hoc, sed aliorum potius seruit, dum ipse ab his, quæ legit, vel actibus reprobis, vel etiam impicitate sensus hæretici discrepat. Talis nanque in noualibus patrum, id est, operibus siue sermonibus patrum optima institutione exultis, non sibi, sed aliis subsidiū acquirit: illis videlicet, qui tractatus eius legentes, arcana per eos spiritalis sensus, quibus interius resciantur, inueniunt. Vtriq; autem sensui conuenit apte quod sequitur,

Qui parit virgæ, odit filium: qui autē diligit illum, instanter erudit.) Nam & pater bonus filium, & discipulum magister catholicus, ne ad iniquitatem defleat, sollicitus erudit. Præcedentem autem versiculum, antiqui interpretes ita translulerunt, Viri iusti diuitiis, annis multis fruuntur: iniqui autem perient breuiter.

Iustus autem comedit & replet animam suam: venter autem impiorum infaturabilis.) Iustus percipit cibos sapientiæ, qui in noualibus patrum, hoc est, in operibus ac verbis præcedentium iustorum probatur exorti: & hos ad profectum animæ suæ bene viuendo trahit. Venter autem impiorum, id est, capacitas sensus hæreticorū infaturabilis: quia sicut Apostolus ait, Semper discētes, nunquā ad veritatis scientiā perueniūt. Quare autē saturari scientiā nō merētur? nisi quia nequaquam refecti cibis paternæ institutionis, aliis hos congregant absque iudicio. 2. Tim. 3